THESES

MEDICÆ

PARISIENSES.



THESES PHYSIOLOGICÆ, HYGIASTICÆ, PATHOLOGICÆ, ET CHIRURGICÆ,

IN SCHOLIS

MEDICORUM PARISIENSIUM

PROPUGNATÆ.

AB ANNO

AD ANNUM



PARISIIS.

M. DCC. LXXII.



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis, decimo-quarto mensis Novembris, anno Domini M. DCC. LIV.

M. AMABILI CHOMEL, Doctore Medico, Præside.

An à peculiari Uteri structurâ Fluxus Muliebris?

I.



PHYSIOLOGI ferè omnes, à peculiari visceris cujusque fabricâ, singularumque ejus partium mechanicâ dispositione, actionem repetendam esse non immeritò judicârunt. Si singulæ corporis partes perpendantur, pro vario quo funguntur munere, vario textu & compage donari, autopsiâ apparebit; unde cerebrum solis ferè vasis constans spirituum animalium generationi dicatur. Pulmones omninò vesiculosi, ideóque excipiendo & expellendo aërem idonei, respirationi famulantur. Ventriculus diversis membranis sibi mutuò in-

cumbentibus constans, inchoat digestionem, perficiunt intestina, & vasa lactea chylum elaboratum deferunt. Cor duplici thalamo præditum *Diastole* sanguinem recipit, *Systole*, illum ex iisdem expellit. Varia denique organa, diversæ secretioni humorum dicavit rerum Opifex; si autem à cujuslibet partis fabricâ munus repetendum sit, quidni etiam à peculiari uteri structurâ mensium causa foret deducenda? Quælibet enim functio ut perficiatur, suis indiget instrumentis; porrò *menstruatio*, ut potè functio sexui peculiaris, suis & etiam indiget instrumentis. At malè cautus haberetur, qui illa in utero non indagaret; siquidem ex eo, velut ex riguo fonte, scaturire & erumpere solent catamenia.

I I.

UTERUS, *menstruationis* organum, vesicam inter & intestinum rectum; ab utroque liber, à fundo latiori in collum sat exiguum exporrectus, figuram æmulatur inversi pyri modicè depressi; huic circumponitur peritonæi processus qui membrana externa audit. Interna superficies obducitur membranâ nervosâ dictâ. Inter utramque sedet propria uteri substantia ex omni varietate fibrarum eleganti concinnata artificio, innumeris locupletatur vasis, variis inter se anastomosibus in plexus reticulares, ubique unitis, incurvatis, intortis, secus atque alibi in corpore fieri solet. In hâcce sola partium contemplatione non hæreat quisquis catameniorum causam mechanicam ab utero derivandam voluerit; ast Microscopii ope membranam internam expendat, in ejus parte convexa omnia secretiora *menstruationis* deteget instrumenta, venas scilicet & glandulas, sive vascula, aut vesiculas, seu vasculo-vesiculas. In sue, colatoria deteguntur cylindrica vasculosa; in ove, vesiculæ solitariæ modò, modò conglomeratæ; in muliere verò colatoria illa nec vasculosa duntaxat, nec vesiculosa, sed vasculo-vesiculosa. In puellis adhucdum teneris colatoria illa vasculo-vesiculosa, ut & mammarum vesiculæ humorem quemdam serosum segregant, qui osculis bibulis resorptus, toto miscetur fluidi oceano. Crescente ætate adeò augetur succi illius consistentia, ut jam viro maturis succus lacteus in illis secernatur vesiculis. Ubi conceperit mulier lactescit magìs succus ille; dùm peperit, in uteri sicut & mammarum vesiculis verum lac reperitur. Harum vesicularum quas perspicacissimus rerum naturalium observator M. *Astruc* solerter detexit, in fabricâ, situ & usu genuina intricatæ *menstruationis* habetur causa.

I I I.

PUBESCENTIBUS jam puellis, vesiculæ humorem secernunt lacteum, qui præ crassitudine resorberi impar, stagnat, hasque vesiculas distendit nimiùm. Illæ venas circumrepentes ita comprimunt, ut collaterales seu conici ductus qui venarum truncis, miro non satis artificio appenduntur, jugi sanguinis affluxu turgescant magis ac magìs, ac tandem cogantur dehiscere in cavum uteri; sicque stillans dimanat cruor, modò purus, modò succo lacteo mixtus. Cruorem quandoque præcedit succus lacteus dum nempe venarum in vesiculas reactione, dehiscunt primùm vesiculæ. Succo lacteo & sanguine quibus turgebant vesiculæ & appendices, semel abreptis, sponte suâ occluduntur, & sic cessat uteri fluxus altero mense rediturus. Dùm novâ succi lactei accessione iterum replentur vesiculæ, rursus comprimunt venas collaterales; illæ ab affluente solitò copiosiùs sanguine, intu-

mescentes, in conicos sese exonerant ductus. Illi mox à sanguine nimis turgidi, in uteri hiant cavum & sic iterùm suo molesto pondere sese expedit uterus.

I V.

NOSTRA de catameniis sententia eò probabilior eòque genio naturæ magìs consona videri debet, quòd ex eâ tanquam ex præmissis conclusio, explicata stant omnia quæ circa *menstruationem* observantur phænomena. Attendatur enim ad hæc Theseos principia. In tenellis puellis humore tantùm lymphatico resorberi apto opplentur uteri, necnon mammarum vesiculæ; *at simulac virgo sana adepta est terminum incrementi, incipit conficere plùs humoris boni quàm sustinendo corpori requiritur; quum augendo ergo non ampliùs impendat, lymphæ* miscetur, hanc inspissat, atque resorptioni inhabilem reddit, stagnat intra vesiculas mammarum & uteri; comprimuntur vasa collateralia, & hinc sororiantur mammæ, dolor, calor, pondus sentiuntur in lumbis, ad pubem & inguina. Dùm floret ætas, eadem ferè, fluxu mensium instante, accidunt symptomata; at ætate declinante vesiculæ flaccidæ evadunt, supra se invicem cadunt, succum lacteum ægre admittunt, comprimunt minùs vasa collateralia, collabuntur tunc mammæ & sic paulatim imminuitur catameniorum fluxus. Senectâ tandem obrepente tunc vesicularum fibræ rigidæ magìs & duræ evadunt, ita ut in suam cavitatem succo lacteo omnem omninò recusent aditum: ampliùs non comprimuntur vasa collateralia, *menstruationis* destruitur mechanismus, & hinc patet cur circa septimum septenarium mulieribus cessent catamenia. In omnibus mulieribus vesicularum & venarum uteri non eadem est compago. Etenim in quibusdam solæ venæ rigidæ & densæ sunt, & vice versâ vesiculæ. Hæ cruore tantùm, illæ verò fluore albo madent.

V.

ADVERSUS nostram sententiam insurgunt quàm plurimi, quorum alii à fermento, fluxûs menstrui causam repetunt: at ubinam fruitur hospitio, fermentum illud? An in sanguine, aut in utero? Si in sanguine, cur humoribus præterfluentibus non turbatur? Si fermento in utero sedem largiantur, unde ei tanta suppetit suppellex ut nunquam exhauriatur? Alii verò & quidem Recentiores ferè omnes pro catameniorum efficienti causâ plethoram universalem statuunt. Vim quidem quâ per uterum, viam sibi referunt menses, æstimat & desumit (a) *D. Freind*, respectu horisontis, à situ perpendiculari pudendi muliebris & arterialis fistulæ quæ à corde ad uterum sanguinem devehit, necnon etiam à vasorum anfractibus.

(a) Lib. de Emm. cap. 4. & 5.

Ingeniosum sanè est celeberrimi Doctoris Angli systema. Sed suis etiam scatet difficultatibus; si enim à sanguinis mole repetenda esset hæc evacuatio, post venæ sectiones pluries repetitas statis temporibus non fluerent catamenia, contrarium tamen evincitur experientiâ: nec canalium innumerabiles gyri, quos effingit, ad hunc fluxum conferunt, siquidem in viris, aliisque animalibus, juxta eumdem Auctorem, non menstruatis, hi reperiuntur vasorum inflexus: insuper arteriarum & venarum factâ rupturâ, supponit fluere catamenia; ergo post eruptionem mensium, ulceratæ fierent arteriæ & venæ, siquidem, vasorum rupturas subsequi ulcera nemo est qui ignoret. Nec quicquam conclusionibus nostris officit, quidquid de mulieribus narrant varii Auctores, in quibus per uterina

vasa non fluunt menses, sed quorum vices gerunt, vel mictus sanguineus; vel per pollicem, digitos, aut quasve corporis partes, sanguinis evacuationes. Contra naturam fiunt illæ sanguinis evacuationes, ergo nostræ non adversantur sententiæ. Quotiescunque sanguis per uterum effluxurus, vel ex parte venarum, vel appendicum reperit obicem, regurgitat in totam sanguinis massam, & quâ datâ portâ ruit: quemadmodum observatur in nephritico dolore affectis, qui urinam evomunt. Non idcirco urinam secernendi, renibus denegatur officium, ergo nec utero menses movendi; licèt quandoque fluant per vias non naturales. Absit tamen ut phethoræ infensus pro ciendis mensibus, eam omnino ablegare velim, symbolum quoque suum hæc, causæ occasionalis munere fungens, huic operi perficiendo impertitur: uterus verò causa efficiens statuendus. Quod confirmant, mensium eruptionis tempore, dolores, calores utero vicini, expostulat functionum analogia, acclamat *menstruationis* utilitas, scilicet fœtûs nutricatio, & ad conceptum habilitas.

Si igitur rationi consentanea, genio naturæ consona, nullis objectionibus convelli possit nostra de catameniis sententia: fas nobis sit confidenter asserere,

Ergò à peculiari Uteri structurâ Fluxus Muliebris.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Simon-Antonius Bringaud,
M. Jacobus-Franciscus Latier.
M. Claudius-Josephus Gentil.

M. Edmundus-Thomas Moreau.
M. Joannes-Baptista Thurant.
M. Carolus Gillot, Legationis Gallicæ ad S. Sedem Medicus ordinarius.

M. Ludovicus Alexa. Vieillard.
M. Ludovicus-Guillelmus Le Monnier, Consiliarius Medicus Regis ordinarius in Nosocomio Regio San-Germani in Laya, Regiarumque Parisiensis, Londinensis ac Berolinensis Academiarum Socius.
M. Josephus Exuperius Bertin, Supremi Valachiæ & Moldaviæ Principis, dùm viveret, Medicus ordinarius & Regiæ Scientiarum Academiæ Socius.

Proponebat Parisiis GUIDO DANIÉ DESPATUREAUX, Bituricus, Doctor Medicus Remensis, necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos Autor, 1754.

Typis Viduæ QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Parif. Typog. 1754.